



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118324**

§. 68. Galliarum Rex in Convenensi Comitatu Successor

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. unionis acceptatio decerneretur. Verum  
A.C. 1443. optimas spes Metrophanes fefellit, die  
 prima Mensis Augusti ejusdem anni præ-  
 matura nimis morte vivis ereptus; cui  
 defuncto Gregorius Protosyncellus, qui  
 Imperatoris conscientiam moderabatur,  
 subrogatus est, sed haud meliori, quam  
 Prædecessor suus sorte potiebatur, ut in  
 progressu Historiæ videbimus.

## §. LXVIII.

*Galliarum Rex in Convenensi Comi-  
 titatu successor.*

Erat hoc anno tam aspera hyems, ut  
 cunctis fluminibus glaciali frigore con-  
 cretis militares copiæ ex hybernis exire  
 prohiberentur; unde Rex quoque diu-  
 tius Montalbani hædere cogebatur, mi-  
 nime tamen otiosus; quippe interea Con-  
 venensis Ducatus successionem sibi asse-  
 ruerat. Equidem Margarita Convena-  
 rum Comitissa Matthæo Fuxio jam quar-  
 tis nuptiis desponsata erat; ast cum præ-  
 pediente annorum senio liberos suscipien-  
 di spe frustraretur, eam Maritus illius vi-  
 ginti ferme annis in quadam arce, ubi di-  
 versabatur, captivam detinuit, eo fine, ut  
 calamitosi hujus status pertæsa conju-  
 gi suo Convenensem Comitatum dono  
 dare urgeretur. Verum Rex afflictæ  
 hujus Comitissæ miseria commotus, ean-  
 dem

dem carceri eripi jussit, & secum Picta-  
vium duxit, ubi integræ libertati restitu-  
ta præfatum Comitatum Regi cessit; cum  
omni prole destituta, jamjam octuagesi-  
mum ætatis suæ annum & amplius age-  
ret. Facta hac donatione haud multo  
tempore superstes, Pictavii, Rege adhuc-  
dum ibi commorante, extremam clau-  
sit diem.

Sæcul. XV.

A.C.1443.

## §. LXIX.

*Comes Armeniacus ex hoc comitatu a  
se occupato per Delphinum brevi  
expulsus.*

Comes Armeniacus, qui cum defunctæ  
Comitissæ Marito, atque alio Fuxi  
Comite de dividenda inter se Conven-  
tione secreta communicabat con-  
silia, summo animi mœrore percepit, ean-  
dem jam Regi dono datum fuisse. Ni-  
hilominus Anglos ad sua studia pertrahe-  
re conatur, horum auxilio, si necessitas  
urgeret, rebus suis opportune consultu-  
rus. Interea vix comperto Comitissæ o-  
bitu, ejusdem terras jamjam Regi datas  
occupat, ac præsidario milite munitas  
suæ potestati subjicit, quas tamen haud  
diu tenuit. Rex enim confestim Del-  
phinum Filium suum unacum Loheaco  
Marescallo, ac validis copiis eo decrevit,  
dato negotio, ut Armeniacum Comitem  
in